

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Disputationum Philosophicarum, altera de Principio & Principiato; altera de Causa Efficiente, E Jusque Aliquot Distinctionibus Ac Divisionibus. Auctore Daniele Stalio. Primum nunc in lucem editae

urn:nbn:de:bsz:31-102400

BIGA
DISPUTATIONUM PHILO-
SOPHICARUM,

altera de

PRINCIPIO & PRIN-
CIPATO;

altera de

CAUSA EFFICIEN-
TE, E JUSQVE ALIQUOT DI-
STINCTIONIBUS AC DI-
VISIONIBUS.

AUCTORE

DANIELE STALIO.

Primum nunc in lucem
edita.

RE-
ICA-

L.

THESES
DE PRINCIPIO & PRIN-
CIPATO.

I.

DOctrina Principii & Principiati excipit tra-
ctationem de Potentiâ & Actû.

II. Principium. ut habet Thomas *Parte I. Summe Theologice Qv. XXXIII. art I.* est id. à quo aliquid quocunque modo procedit. Ex Aristotele *V. Metaph. c. I.* hanc vulgò tradunt definitionem; *Principium est primam, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.*

III. In quâ descriptione simul generalis quâdam distinctio continetur. Ea autè hæc est, quod principium sit vel *essendi* sive rei, quoad esse ejus; vel *fiendi*, sive rei in fieri; vel *cognoscendi*.

IV. Principium *fiendi* appellamus, unde res in fieri, non autem, quando jam facta est, dependet; ut privatio in Physiis. Qualia principia etiam esse solent causæ efficientes, minimum particulares. A futores enim fit calceus, à fabrò lectus; sed quando facti sunt, iis non amplius indigent, sed permanere possunt, opificibus etiam mortuis.

V. Patet igitur, principium rei in fieri hic sumi *exclusivè*, pro eò, quod est tantum principium istiusmodi, non etiam simul principium essendi.

VI. Principium *essendi* est, unde res non solum dependet dum fit, sed etiâ cum jam facta est.

Vel,

Vel, ut
dicitur illu
substant
pus orga
VII.
scitur au
absolutè
IX.
cipium
pium re
propositi
maticis
teles IV
simul eff
rat, qua
sunt res
tiâ eoru
& subje
IX.
ea, qua
princip
quò res
pendeat
X. S
scriptio
XI.
nec fie
est id, u
est id, u
est ang

Vel, unde res dependet, aut ab eò esse habet, què-
ditu illud habet; ut materia & forma respectu
substantiæ corporeæ, v. g. anima sentiens & cor-
pus organicum respectu animalis.

VII. Principium *cognoscendi*, vel rei ut cogno-
scitur aut cognoscenda est, sumitur dupliciter; *absoluté*, & *exclusivè*.

VIII. *Exclusivè* sumtum est id, quod est prin-
cipium cognoscendi ita, ut non sit simul prin-
cipium rei in esse aut in fieri: qualia sunt plurimæ
propositiones, interque eas illæ, quæ in Mathe-
maticis axiomata appellantur, ut habet Aristot-
eles IV. *Metaph. c. III* v. g. *Impossibile est, idem
simul esse & non esse; si ab equalibus equalia aufer-
ras, quæ remanent, sunt equalia.* Qualia itidem
sunt res, ut effectus & accidentia, quatenus ex no-
tiâ eorum provehimur in cognitionem causarum
& subjectorum.

IX. Principium cognoscendi *absolutè* præter
ea, quæ modò diximus, complectitur quoque
principia essendi, cum juxta illud pervagatum, à
quò res dependet in esse, ab eo etiam in cognosci de-
pendeat.

X. Sunt, quibus probatur isthæc principii de-
scriptio; *Principium est id, unde aliquid est.*

XI. Dicis; Hæc descriptio nec cognoscendi
nec fieri principii convenit, quia neque *illud*
est id, unde res, quæ cognoscitur, est; neque *hoc*
est id, unde res, quæ fit, est. Justo ergò descriptio
est angustior.

XII.

XII. Resp. Licet ex vel à Principio cognoscendi non sit res, quæ cognoscitur, est tamen inde ipsa cognitio. Et licet ex vel à principio fiendi non sit res, est tamen inde ipsum fieri rei. Utrumq; ergò principium est id, unde aliquid est. Quanquam etiam non profus negandum videatur, à principio profiendi rem esse; sed id alibi declarabimus.

XIII. Cæterùm cùm principium sit ex numero relatorum, correlatum ei assignari oportet. Id verò est *principiatum*, quod spectatà definitione Thomæ s. II. est id, quod ab aliquo quocunque modo procedit; spectatà Aristotelicâ etiam s. II. adlatâ, est id, quod alicunde aut est, aut fit, aut cognoscitur; spectatâ tertiâ verò s. X. additâ, est id, quod alicunde est.

XIV. Porrò ut ad principium redeamus, occurrat apud Autores distinctio in principium quod & quo. illius definitio nominalis fortassis tradi potest hæc: *Principium quod, est id, cui sumpto in recto, aut modo equipollente, tribuitur verbum significans id, cuius est principium.* & præcipue est aliquid suppositum, ut: *Gubernator gubernationis navis, & ignis ustionis est principium quod, dicimusque gubernator gubernat navim, ignis urit.*

XV. Neque obstat, quòd rectè etiam dicatur, à gubernatore gubernatur navis, ab igne uritur hoc vel illud; quoniam illæ locutiones prioribus æquivalent.

XVI. *Principium quo inde est id, cui sumpto in casu*

*casu auferendi, aut modo equipollente, connectitur
verbum denotans id, cuius est principium, & si non
semper, ut plurimum natura aliqua est, aut for-
ma, siue ea sit essentialis siue accidentalis pars in-
tegralis item, aut instrumentum. Sic unumquod-
que horum, ars, quæ dicitur *ἡ ἐπιστήμη*, manus,
remo, est id, quo gubernatur navis, anima, id, quo
homo intelligit, calor id, quo ignis urit. Unde di-
cimus: gubernator arte, manus, remone, navem
regit; ignis calore urit; homo animam intelligit.*

XVII. Sed neque hic obstat, quod dicimus,
*beneficio artis, manus, adminiculo remonis, aut si-
mili modo gubernatur navis aut gubernator eam
gubernat, &c.* quoniam hæ locutiones prioribus
æquivalent.

XIX. Ubi tamen sciendum I. Non semper ita
distingui principium quod & quo, quin aliquid
simul possit esse principium quod & quo: sicut a-
nima est id, quo cognoscimus. Aristoteles tamen
III. de anima c. IV. in principio scribit, etiam ani-
mam esse id, quod cognoscit. Sic & homo movet ba-
culum manu, & utroque lapidem; & tamen Lib.
IX. Physio. 1. 33. dicitur: *Baculus movet lapidem.*
Multo magis licebit dicere; *Manus movet bacu-
lum.* Et quemadmodum dicimus; *Ego hisce meis
oculis vidi.* Ita dicitur Luc. II. *Oculi mei vido-
runt salutare tuum.*

XIX. II. Sciendum, semper dari aliquod prin-
cipium quod, quod non sit simul principium quo;

ut

ut homo, qui manu baculum movet, non est id, quo aliud quid, aut alio quis movet.

XX. Ceterum aut à consideratione principii transeamus ad contemplationem causarum, cum varia sint principiorum genera, omnia ad hæc duo capita possunt referri, quod alia sint *causæ*, alia *non causæ*.

XXI. Nimirum latius patet principium quam causa. Est enim omnis causa principium, (sicut ipse Aristoteles *Lib. V. Metaphys. Cap. I.* ait) sed non omne principium est causa: nam privatio generationis principium est, ut ex *I. Phys.* constat, non causa. Sic & primum punctum lineæ, & signam longitudinis seu viæ, unde quis moveri incipit, itineris principium est; nullum autem horum est causa.

XXII. Latini Theologi, ut testatur Thomas *Part. I. q. XXXIII. art. I.* Patrem in divinis principium Filii asserunt, causam autem esse negant; quod nos aliis discutendum relinquimus.

XXIII. Nullam autem Aristoteles definitionem *causæ in genere* nobis reliquit. Cum varii varias afferant, ista ex Francisco Suarezio *disp. Metaph. XII. s. II.* hodiè videtur esse receptor: *Causa est principium per se influens esse in aliud.*

XXIV. Sumendum autem, ut ait Suarez, verbum illud *influit* non strictè est, ut attribui specialiter solet causæ efficienti, sed *generalius* prout æquivalet verbo *dandi* vel *communicandi*.

XXV
mus, ita
principi
fluit, int
sione eju

XXV
pii princ
gò exist
latum,
cimur.

XXV
piarum.
nomine
scripto
& habe
causam
ad clay

XXV
sa effici
dem ad
mnes c

XXV
ingred
compe
XX

XXV. Nos salvo aliorum iudicio existimamus, ita esse describendam causam: *Causa est principium aliud, in quod influit esse, aut si non influit, intendit, tamen illud actione, aut certe omissione ejus, ad id aliquid conferente.*

XXVI. Quemadmodum autem supra Principii principiatum, ita causa in genere, non, ut vulgo existimatur, effectum, sed causatum esse correlatum, habitum propriae significationis ratione, dicimus. Utrumque enim vocabulum, & Principiatum, & Causatum, deducitur, illud quidem à nomine principium, hoc à nomine causa, ex praescripto Aristotelis *Categor. Cap. VII. §. 12. & seqq.* & habet se, illud ad principium, hoc autem ad causam, sicut capitatum ad caput, & clavatum ad clavum.

XXVII. Genera causarum quatuor sunt: *Causa efficiens; Materia, Forma, Finis.* Quas quidem ad duas classes revocare licet, Sunt enim omnes causa vel interna, vel externa.

XXVIII. Interna est, quae constitutionem rei ingreditur, nempe materia & forma respectu compositi.

XXIX. Externa est, quae est extra rei constitutionem, ut Efficiens & finis.

Ooo

THE

THESES
DE CAUSA EFFICIENTE,
& ejus aliquot distinctionibus ac
divisionibus.

I.

CAusam efficientem Aristoteles describit hisce
verbis : ὁθεν ἢ δεχθὴ τῆς μετὰ τοῦ δυνάμει ἢ ἀκίνητης
ἢ τῆς ἡγεμονίας, unde est primum principium mu-
tationis aut quietis. Lib. II. Physic. Cap. III. & 20.
& V. Metaphys. Cap. II. Alibi eam paucioribus
verbis exprimit, ut Lib. I. Metaph. t. 12. & 19. hi-
sce: ὁθεν ἢ δεχθὴ τῆς κινήσεως, unde est principium
motus. Et cap. VII istis: τὸ τῆς κινήσεως αἴτιον.
Plura ex Aristotele non afferimus.

II. Alii alias producunt definitiones. An
potest dici, esse causam externam, realiter influen-
tem esse in aliud? Per vocem externam discerni-
tur à materiâ & formâ, quæ sunt causæ interna.
Per vocem realiter distinguitur à causâ finali,
quam non ita realiter influere, sicut causâ effici-
ens influit, vel inde patet, quod, ut aliquid cau-
sâ finalis sit, non requiratur realis ejus existentia,
quæ tamen necessaria est in causâ efficiente, que-
madmodum & in omnibus aliis.

III. An magis ita: Efficiens est causa externa
& non id, cujus gratiâ aliquid est vel fit? Ut à cau-
sâ finali posterioribus verbis, tanquàm ejus de-
scriptione, separètur.

IV.

IV.

Ans, seu
circumfer
bet res, q

V.

quod ali
in genere
runt ut la
sa efficien
dere cor

VI.

quid eni
vel effici
quando

VII.

sed quic
tur Suar

VIII.

plectatu
actio, su
fatione

IX.

plus est
di conf
tuum e

X.

nem ca
est, ut f
ficient
ei, qu
IX.

IV. Correlatum ejus, ut per se patet, est effectus, seu effectum; vel potius id, quod hisce verbis circumscribimus: *Id quod efficitur*. Et est qualibet res, quatenus à causa efficiente dependet.

V. Ex quò simul luce meridiana clarius est, quod alibi notavimus, nempe, *correlatum cause in genere non esse effectum*. Illis enim, quæ differunt ut latius & angustius, (quomodo causa & causa efficiens inter se comparata sunt) idem respondere correlatum, ex iis est, quæ fieri nequeunt.

VI. Causalitas ejus est actio vel effectio. Aliquid enim est causa efficiens per hoc, quod agit, vel efficit. Quanquam nomen effectus ita late quandoq; accipitur, ut non solum rem productam, sed *quicquid à virtute agentis manat*, (uti loquitur Suarez *Disput. Metaph. XIX. Sect. X.*) complectatur; & sic ipsa etiam ejus causalitas, nempe actio, sub effectu continetur, ut si dicamus, *calorificationem vel ustionem esse effectum ignis*. Quin ipsius etiam efficientis nomine actio comprehenditur: quemadmodum inter causas habituum effectrices referimus *crebras actiones*.

VII. Ex quibus nemo non intelligit, rationem causandi, sive id, per quod aliquid aptum est, ut sit causa efficiens, esse *potentiam activam*.

VIII. Sed conferamus nos ad aliquas causas efficientis divisiones. (1.) Primum locum tribuimus ei, quæ in *Physicam & Moralem* dispescitur.

IX. Causa *Physica* hic non accipitur pro eâ,

quæ postmodum vocabitur naturalis; nec opponitur liberæ; sed utramque complectitur. Dicitur enim ita *qualibet causa efficiens, comparata effectui, in quem verum præstat influxum*:

X. *Causa Moralis* quid sit, et si non ab omnibus iisdem verbis significatur, videtur tamen eorum mens huc redire: *Causa moralis est, cui recte imputatur effectus, citra tamen influxum in eum.* Qualis eausa est, I. Qui cogit aliquem ad aliquid patrandum. II. Qui præcipit. III. Qui suadet. IV. Qui remouet prohibens. V. Qui applicat agens ad patientem. VI. Aut hoc ad illud. VII. Qui non impedit cum possit & debeat. V. g. Incendiarius nihil confert ad comburendum ædificium, nisi quod ignem ei, agens patienti, applicat. Atque ita non præstat influxum comburendi; quod vel inde, perspicitur, quod ipse, conflagrante domo, longissime abesse, aut mortuus etiam esse possit. Iure tamen ei exustio ædificii imputatur, propterea quæ si captus & convictus fuerit, plectitur. Ignis autem est causa physica combustionis, quia is immediatè comburit.

XI. Claret autem ex datâ descriptione, causam moralem hinc sumptam esse pro eâ, quæ est tantum moralis. Datur autem aliqua, quæ simul est physica. Sed inferius & hanc rem pluribus exponemus, & plura exempla efferemus.

XII. (II.) Nihil vulgatius est divisione causæ efficientis in causam per se & per accidens. Nihil

hil vulga
dens esse
parte eff
XIII.
dam cen
causa per
se causa,
XIV.
tali, pro
XV.
quâ pro
cus: ide
e. c. Jur
co, Me
mino. c
co: Ho
rat; ca
exprim
tus, & I
ut Juris
cuti pa
XV.
feli su
traq, v
XV
se Phyl
in que
X I
quæ et

ill vulgatius quoque est, quam causam per accidens esse duplicem, aliam ex parte cause, aliam ex parte effectus.

XIII. Nos eam etiam causam per se adhibendam censemus. Utraque igitur, & causa per se, & causa per accidens, est duplex: jam est talis ex parte cause, jam est talis ex parte effectus.

XIV. Causa per se ex parte cause est, à quâ ut tali, procedit effectus.

XV. Causa per accidens ex parte cause est, à quâ procedit effectus, sed non ut tali. V.g. sit Medicus: idem homo est, & accidunt ei plurima, sit, e. c. Jurisconsultus, Francus, simus. Quando dico, Medicus curat; causam per se curationis nominino, quia Medicus, ut Medicus, curat. Si dico: Homo, Jurisconsultus, Francus, aut simus curat; causam per accidens, ex parte cause scilicet exprimo. Curat enim & homo, & Jurisconsultus, & Francus, & simus, sed non ut homo, neque ut Jurisconsultus, aut ut Francus, aut ut simus, sicuti patet.

XVI. Porrò (III.) utraque causa ex parte effectus ulterius distinguenda est. Dicitur enim utraque, vel ratione influxus, vel ratione intentionis.

XVII. Causa per se ratione influxus, quæ & per se Physica vocatur, dicitur comparatione effectus, in quem influit, sive eum intendat, sive non.

XVIII. Causa per accidens ratione influxus, quæ etiam Physica per accidens vocatur, dicitur.

comparatione effectus, in quem non influit, cum tamen aut indirectè intendit, aut directè vel nullo modo intendens facit aliquid, quod ad ipsum confert.

XIX. Causa per se ratione intentionis dicitur comparatione effectus, quem intendit, aut directè, siue in eum influat, siue non, facit tamen aliquid, quod ad ipsum confert; aut indirectè.

XX. Causa per accidens ratione intentionis dicitur respectu effectus, quem nec directè, nec indirectè intendit, influit tamen in ipsum, aut saltem facit aliquid, quod ad ipsum conferat.

XXI. Ut autem melius hæc intelligantur, sciendum primò: conferre aliquid ad effectum id hic dici, sine quo is non fieret. Et necessarium fuit istud verbum addere, propterea, quod id, quod nec influit in effectum neq; inter eos est, qui non impediunt, cum possint & debeant, nec aliquid facit, quod conferat ad effectum, neque per se, neque per accidens ullò modo causa sit.

XXII. Secundò sciendum: intentionem esse duplicem: directam & indirectam. Illa dicitur comparatione effectus, quem quis actu voluntatis appetit: quomodo intenditur litetarum exaratio ab eo, qui calamum capit in manum, ut scribat. Hæc, hic loci, nobis dicitur comparatione effectus, quem quis dictò modo non appetit, tamen aut appetit & facit aliquid, ex quò aliquò modo novit, eum sequi; aut ipsum non impedit, eum possit & debeat. Priori modo rixas experere aut

in

intender
orum, q
compota
riori mo
ris, cum p

physican
tus, aliq
le, sed pe
operam
colendæ
quando
per se est
& volen
rat.

one inte
Hujusm
aut hoc
dentis, i
conjeci
sciens u
neri, la
uter asc
ve undi
clavis i
eoacti
um co
dii. Et

intendere dici potest is, qui iis implicatur. quò e-
 orum, quos potos rixari consueville non ignorat,
 comotationibus interesse non dubitavit. Poste-
 riori modò lapsum pueruli, qui eum non impedi-
 rit, cum potuerit & debuerit.

XXIII. Sciendum autem potrò, causam per se
 physicam, sive eam, quæ sic dicitur ratione influ-
 xus, aliquando ratione intentionis non esse per
 se, sed per accidens: qualis est, qui findendis lignis
 operam dans pedem securi vulnerat: aut qui vineæ
 colendæ causâ fodiendò thesaurum invenit. Ali-
 quando autem ratione intentionis quoque causa
 per se est: ut quando quis scribit literas, aut sciens
 & volens suâ manu alium confodit, aut verbe-
 rat.

XXIV. Causa per accidens physica sæpè rati-
 one intentionis non est per accidens, sed per se.
 Hujusmodi est is, qui applicat agens ad patiens,
 aut hoc ad illud: ut. comparatione tecti aut ligni ar-
 dentis, is, qui illi ignem subjecit, aut hoc in eum
 coniecit. Is item; qui removet prohibens: ut, qui
 sciens utrem in fundò aquæ, lapide impositò, deti-
 neri, lapidem aufert, comparatione motûs, quò
 uter ascendit. Aut qui valvas ligneas, quib9 concla-
 ve undiq; occlusû est, recludit, comparatione con-
 clavis illuminati à Sole. Is etiam, cujus jussu,
 eoactu, aut suasu uliquid fit, v. g. homicidi-
 um committitur, comparatione illius homici-
 dii. Et porrò is, qui non impedit v. g. casum pue-
 ruli

ruli de mensâ, cùm possit & debeat. Quo pertinet quod *II. Phys. t. 30. & V. Metaphys. t. 2.* dicitur, *absentiam gubernatoris esse causam submersionis navis.* Confer *V. Phys. t. 32*

XXV. Interdum hæc causa per accidens physica est quoque per accidens ratione intentionis: quomodo causa per accidens est ascensus utris, qui in flumine lapidem ipsi impositum tollit, quem ipsi impositum fuisse ignorat.

XXVI. Sunt autem nonnulla ulterius pro pleniori hujus doctrinæ intelligentia observanda. Eorumque *primum* est simile ei, quod notavimus supra *Th. VI.* nempe, non solum rei, quæ agit, sed ipsi etiam actioni, quam aliquò modò in effectibus ejus contineri, ex eadem *Thes.* constat, convenire appellationem causæ per accidens: sicuti, cum quis fodit condendi sepulchri causa, & ipsa fossio rectè dicitur causa per accidens inventi thesauri. Confirmamus hanc sententiam autoritate *Themestii*, qui *fossionem per se causam fationis, inventi thesauri per accidens causam esse dicit.*

XXVII. *Secundo*, in genere causarum per se & per accidens ex parte causæ, unius effectus plures dari causas, unam quidem per se, reliquas per accidens. Quemadmodum hujus effectus, qui est *adificium*, causa per se est *architectus*; causæ per accidens sunt *hic vel ille homo*, item *Francus, Musicius, simus, varus, ventriosus*, si hæc illius hominis, qui architectus est, & adificium extruit, sint accidentia,

XXIIX.

XXIIX. In genere earundem causarum ex parte effectus duo vel plures attendendi sunt effectus, quorum una eademque causa; alterius quidem aut plurimum per accidens, alterius autem per se causa est, aut esse debebat. Ita duo effectus sunt 1. *fossio*, sepulchri condendi causa instituta, aut etiam *terra fossione* illa aperta; & præterea 2. *inventio thesauri*. Quorum effectuum, is, qui fodit, causa est, illius quidem per se, hujus per accidens.

XXIX. Sunt autem, uti Th. præced diximus, plures nonnunquam effectus per accidens causa per accidens ex parte effectus; ut cum conclave lumine Solis derepentè illustratur, fieri potest, ut, qui oculorù ægritudine laborat, offendatur. Duorum horum effectuum, & illuminationis, & læsionis, causa per accidens est is, qui valvas à specularibus removet.

XXX. Verùm hîc objeci posset. I. Interdum unum tantum, in posteriori genere causarum per se & per accidens, non duos dari effectus. Nam cum Adrastus feram occisurus, filium Cræsi confodit, hîc certè unus effectus tantum existit, nempe confossio filii Cræsi. Cædes enim feræ, quam sibi proposuerat, secuta non fuit. Idem confirmatur argumentò sumptò ab eò, qui causa per accidens dicitur propterea, quod non impedit id, quod potest & debet impedire; ut si mater puerulum, quem in gremiò habet, obrepente de improvisò dormi-

tatiunculâ, humum decidere sinat. Nullus enim alius hic effectus est, quàm casus pueruli. II. Etiam in causis per se & per accidens posterioris generis, sive ex parte effectûs, duas occurrere causas: dictum enim fuit Thef. XXVI. non solum eum qui agit, sed ipsam etiam actionem esse causam.

XXXI. Sed ad I. argumentum respondemus, asseruisse nos non, duos semper dari aut esse in istò genere causarum per se & per accidens, effectûs; sed *duos semper esse attendendos*, quod profectò locû etiam habet in iis, quæ adducta sunt. Quamvis enim cades feræ non fuerit perpetrata, attendenda tamen ea, vel ratio ejus habenda h. l. est. Et licet Adrastus causa ejus efficiens non fuerit, propterea, quod ejus, quod non est, nulla sit causa efficiens; ejus tamen causa, & quidem per se, esse debuerat. Quæ responsio etiam accommodari posse videtur exemplo pueruli è gremiò matris dormientis prolabentis. Præter lapsum enim considerandum est & hoc, quod mater puerulum in gremiò voluerit tenere, quod etiam aliquandiu præstitit.

XXXII. Ad alterum dicimus, rem, quæ agit, & actionem ipsam, non eò modò esse duas causas, quo diximus, esse duas vel plures in genere causarum per se & per accidens ex parte causæ. In hoc enim genere ita sunt plures causæ, ut nulla earum ab alterâ procedat, & rationem effectûs sortiatur. At actio procedit à re, quæ agit, & effectûs ratio-

tionem
retinetur
confirm
agit, & a
quitur v
admodu
tionis, &

XXX
quæ The
cidens e
esse effe
qui per
effectur
tamen a
effectur
allatis.

XXX
quandò
quema
motis r
quandò
percut
rarò: e
conde
tus.

XX
hacter
eorum
nam

tionem quoque obtinet; quod tantum abest, ut ad-
 verberetur doctrinæ Theſ. XXIX. ut eam potius
 confirmet. Est enim una causa, nempe id, quod
 agit, & actionis, & quidem per se, & ejus, quod se-
 quitur vel connectitur, sed per accidens. Quem-
 admodum qui fodit, causa efficiens per se est, fos-
 sionis, & inventi thesauri causa per accidens.

XXXIII. *Tertio* observamus, id, quod ex iis,
 quæ Theſ. XXXI. tradita fuere, cum causa per ac-
 cidens ex parte effectus est, aliquando actu duos
 esse effectus, quorum is, qui per accidens fit, eum,
 qui per se est, comitatur aut sequitur; aliquando
 effectum per se intendi quidem & proponi, non
 tamen actu obtineri, sed in ejus locum succedere
 effectum per accidens. Res clara est ex exemplis
 allatis.

XXXIV. *Quarto*, effectum per accidens ali-
 quando necessario connecti cum effectum per se:
 quemadmodum interdum valvis à specularibus di-
 motis non potest non conclave illuminari. Ali-
 quando ut plurimum sequitur: sicuti qui alterum
 percutit, plerumque repercutitur. Aliquando
 raro: quod testatur thesaurus ab illo, qui sepulchri
 condendi, aut alterius rei causâ fodit, inven-
 tus.

XXXV. *Quinto*, duorum effectuum, quorum
 hactenus non semel mentio facta est, unus, qui
 eorum effectus per se est, alter per accidens, u-
 nam eandemque interdum esse causam physi-
 cam.

cam: quemadmodum idem homo est, qui fodit,
& qui thesaurum invenit; interdum esse duas di-
versas causas physicas: quemadmodum liquet,
in remotione valvarum, eamque comitante illu-
minatione: illius enim causa physica est homo, hu-
jus Sol. Quod ipsum non impedit, quo minus ho-
mo ille illuminationis quoq; sit causa per accidens.
Causa, inquam, per accidens ejus ille est, qui remo-
vet valvas, non quidem ratione intentionis, sed
physicè & quoad influxum.

XXXVI. *Sextò* dubium quoddam enodandum
est. Videtur distinctio causæ per accidens in-
physicam, sive eam, quæ ratione influxus ita appel-
latur, & eam, quæ ratione intentionis nomen id ob-
tinet, non esse sufficiens, sed dari causam per acci-
dens, quæ sub neutrò membrò contineatur. Testa-
tam rem facit tegula, quæ de tecto decidens præter-
euntem vulnerat. Gaudet hîc regula nomine cau-
sæ per accidens inflicti vulneris; vulneratur enim
præteriens casu; at quicquid casu sit, à causa per
accidens sit. Sed non est causa per accidens physi-
cè: quia ipsa suapte vi & immediatè vulnus efficit,
quod est proprium causæ per se physicæ. Sed nec
ratione intentionis causa per accidens est. Nam
quicquid non fit præter intentionem alicujus, ejus
id causa per accidens ratione intentionis non est.
Sed vulnus non præter intentionem lapidis infligi-
tur. Ergò vulneris causa per accidens ratione in-
tentionis lapis non est. Major est aperta & con-
fessa

esse veritatis. Minor probatur: Quicquid est sub-
jectum capax intentionis, præter ejus intentionem
nihil contingit, cum præter ejus intentionem ali-
cujus aliquid fieri, privationem intentionis, impor-
tet. Lapidem verò non esse subjectum capax in-
tentionis, inde perspicuum est, quia intentio est actus
voluntatis. Voluntate autem solum prædita sunt,
quæ facultate intelligendi, pollent.

XXXVII. Respondeo breviter; Licet intentio
proprie sit actus voluntatis, metaphoricè tamen
attribuitur etiam rebus, omnis cognitionis experi-
tus, quatenus inclinationem habent ad aliquid
& importat ipsam potentiam naturalem compara-
tam cum suâ perfectione, quâ caret: quomodo
materiæ primæ Aristoteles attribuit appetitum for-
mæ, & regula decidens, intendit vel appetit quietem
in terrâ. Quod autem transeuntis caput vul-
nerat, præter intentionem ejus est, indeque ad
causam per accidens ratione intentionis refer-
tur.

XXXIX. *Septimò*, causam moralem esse cau-
sam per se ratione intentionis, non difficulter ex
suprà dictis perspicere est. Existimamus tamen, non
equalem eas obtinere ambitum, sed hanc illâ esse
ampliores: quod vel ex iis, quæ Theſ. præceden-
te disputavimus, ostendi posse putamus. Est e-
nim regula causa per se & physicè & ratione in-
tentionis quietis in terrâ, quam per motum natu-
ralem.

ciente. Quod ergo actio Dei, ut causa universalis est, determinata & limitata est, acceptum ferendum est causæ particulari, cum quâ concurrat. Videatur Petrus Hurtadus de Men-

dozâ *Disput. Phys. X.*

Sect. IV.

Tantum hæc vice.



D
O

Pr

OR
IN

Anno

T

ne reg
gelorn
brut o
& an